

Miscellen.

Varia.

IV. Multa in Acronis quae vocantur scholiis Horatianis temere attempata sunt ab Hauthalio. Ut pauca excerpam, quod ad vocem *nenia* ad Od. 2, 1, 37 ascriptum est *quod nunc Graece ἐπιτάφιον dicitur*, mutavit ἐπικήδειον pravissimis argumentis usus: cf. CGL. II 311, 39 ἐπιτάφιον *epitafium nenia laudatio*. — Od. 2, 13, 20 *inexorabilitas* satis defenditur Servii usu Aen. 12, 199 et Ge. 3, 68. — Sat. 1, 6, 117 *echinum dixit vas aenum in quo calices lavantur quod modo τρισκελῆ appellamus* ex codd. reponendum erat, cf. Isidor. or. 20, 4, 14 *trisceles vocantur . . tri-podes*. — Sat. 2, 4, 32 *murice: τῷ πορφυρίῳ quod apud Baias nascitur* neque Hauthalii πορφύρα neque Hirschfelderi κογγυλίῳ probandum est, cf. Gl. Philox. CGL. II 131, 40 *murices κήρυκες, πορφύρια*. Sat. 2, 4, 40 *glande: ilicina, quam formam ab H. in dubium vocatam tenentur Acta fratrum Arvalium a. 87 ramus ex arbore ilicina* (deest vox in Georgesii lexico). Sat. 2, 7, 110 *strigilis est instrumentum aeneum quo sudorem in balneis solent homines tergere. hodieque (que sine ulla causa inclusit H.) in campsariis multae sunt strigiles Romae: ad quae verba ille adnotat: 'verbum non latinum. caldarius? Marc. Emp. caldaria cella Plin. ep. V 6. Fieri potuit, ut scribae h. v. confunderent cum capsariis servis in balneis qui vestes servabant atque instrumenta in capsis'. Georges haec habet: campsaria, ae, f. der Trödelmarkt, Acron. Hor. sat. 1 (sic!), 7, 110. Immo descendendum erat ex hoc loco etiam campsarium i. e. caps. neutro genere extitisse locum significans ut *vestiarium* aliaque, quod nunc confirmatur CGL. III 306, 17 εἶματοφυλακίον *capsarium* (de *m* inserta cf. II 338, 14 *καμπτροποιος campsarius*, 571, 4 *camsa: cista* in cod. Cantabr., unde apparet recte Loewium gl. nom. n. 344 *casina* in *camsa* corrigi voluisse; *campis*. ex fastis Ant. a. u. c. 804 laudat Sebuchardt I 114). Ep. 1, 5, 1 (Archias) *faber lectuarius* defenditur CGL. III 308, 27 *κραβατοποιος faber lectuarius*, 525, 51 *κλιουργος f. l.*, CIL. VI 7882 *f. lectasius*. Denique quod ad epod. 16, 7 adnotatum est: *caerulea ad oculos retulit, quos stigmatos habent, aut gutta caesia oculorum colore i. e. catino* plane corruptit H. scribendo *aut ut in gente Caesia, oculorum colore i. e. caesio*: apparet sermonem esse de *gatta* ('Katze') eorumque oculorum colore *catino*, vel ut est in Hermen. Amplon. CGL. III 86, 63 *γλαῦκος: gathineis ocolis, cesius* (extrema vox ex antecedenti glossa huc trahenda est), IV 131, 32 *oculi caesii**

gattinei. Similiter *felinei oculi* Serv. Ge. 3, 82 et Schol. Ter. p. 126 ed. Schlee (*fellineis* male). — Non sufficit emendatio quam adhibuit verbis ad serm. 2, 4, 83 ascriptis *pavimentum vermiculatum seliatum* scribendo *serratum* quod nihil est: legendum sine dubio *(tes)sellatum*. Art. poet. 121 *ut habent fiduciam vincendi ut omnia armis devindicet non vindicet sed diiudicet* legendum. Correctionem requirunt verba ep. 2, 7, 6 *ad locum Libitinae*: scribe *lucum* coll. Varr. apud Non. p. 64 s. v. *prolubium*, Fest. p. 356, 33 Th. (cod. in luci livitia densi pro in luco Libitiniensi), CIL. VI 9974, Ascon. in Cic. p. Mil. p. 29, 9 Kssl. (codd. *ex lecto Libitinae*), Obsequ. c. 12 (codd. *locum Lib.*), Dion. Halic. 4, 15. Denique verba quae ad ep. 2, 1, 142 laudantur sic: *'ne pueri ne tanta animis a. b.'* Vergilii esse moneo Aen. 6, 833.

V. In anecdotis Helveticis ad grammaticam latinam spectantibus editor meritissimus nonnulla vocabula cruce infelici praefixa reliquit, quorum partem sanare posse mihi videor. Velut quod p. 185, 15 legitur *interdum ab auctoribus difficilior glossa ponitur quam sit ipsum quod exponitur, ut Hieronymus 'terrenus id est cholcus'*, extremam vocem *choicus* intellege sc. *χοϊκός*, qua utitur Tertullianus adv. Valent. 24 cf. CGl. V 494, 71 *choicus: terrenus vel pulvis seu malus*, Iren. 2, 5, 1 *aeternochoicus*. P. 95, 10 inter nomina masculina primae declinationis *colosista* ponitur, quod non *colossita* cum Hageno sed *collybista* emendandum videtur, i. e. *κολλυβιστής* nummularius, quae vox apud Hieronymum legitur secundum lexica et in glossariis velut II 352, 25. V 617, 42 (*colobista*). P. 113, 32 *neutra ut hoc far farris: genus est panis, et hoc + inuar inuaris, hoc exemplar, + hoc infar*: legendum puto *iubar iubaris* et deinde *instar*. Pag. CLXXVI + *bianati dicti sunt quasi bis mortui*: nimirum *biothnati*, cf. Isidor. or. 10, 31, qui eandem etymologiam habet. Una tantum syllaba quae sigla neglecta intercudit addenda erat p. 117, 23 sic: *neutra nomina in is tria sunt indeclinabilia, ut hoc tresis sexis dec(us)is*: nam quod H. scribendum conicit *tressis sexessis decussis* refellitur loco Martiani Capellae § 305 *s littera finita praecedente i neutra monopecta sunt ut tressis sexis*, Vitruvio 1, 3, 8 *decusis sexis*: nam *tressis, decusis, besis* in optimo quoque codice per unam s ferme scribi recte Georges (Lex. der lat. Wortf. s. vv.) monet, cuius copiis addo *besibus* Cic. Att. 4, 15, 7, *besalis* et *besis* Porfyr. Hor. ep. 1, 1 (spretum ab Holdero), *besem* Fest. p. 530, 31 Th. et Plin. 18, 102, unde *βησαλον laterculus besalis* in inferiore Graecitate, et CGl. II 257, 22, de quo vide nunc etiam Ihmum ad Pelagon. 398. Quod agnominis exemplum affertur p. CCXIII *Vincila lentiarius*, non emendandum est *lancearius*, sed interpretandum *lentearius*: illa scriptura nihil est frequentius in glossariis, velut CGl. III 367, 34 *lentiarius*: *ὀθονιακός*, nec deest in titulis, v. CIL. V 5932, nec aliter Graeci *λέντιον* pro eo quod est linteum. Denique in mira Donati vita p. CCLX 26 *eadem igitur tempestate Aemilius senator hominem exivit, cuius in locum pilleatus meruit subrogari*

etc. vereor ut recte scripserit de sua coniectura *exiit*: nam etiam Solinus 1, 21 *Tatius septima et vicesima olympiade hominem exiit* secundum bonos codices scripsit et teste Prisciano, qui locum quater propter exeundi vocabulum citat, v. Mommseni edit.

VI. Nondum explicata sunt duo nomina navium, quas Gellius noct. Att. 10, 25, 5 inter 'pontones' et 'phaseli' collocatas memorat: *velutiae moedia*: nam quod Turnebus proposuit *acatia hemioliae* et nuper Nettleship, qui solus post illum temptasse locum videtur idque opinatus ex omnibus omnia fieri licere *ancyromagus* vel *ancyragogus*, cum omni probabilitate carere viderentur, Hertz verba infelici cruce notata reliquit. Nos de priore vocabulo nihil affirmare pro certo audemus, quamquam 'venetiae' in corrupta memoria (etiam *veintiae* quidam codex habet) codicum delitescere videri possunt, scilicet Venetorum naves a Caesare b. g. 3, 13 nomine non addito descriptae. Certius indicari posse confidimus de altera voce *moedia*. Mirum enim est immemores fuisse editores eius pronuntiandi simul et scribendi usus vulgatissimi, quo *u* per *oe* redditur, cuius rei testimonia cum multi collegerint tum praecipue Schuchardt notissimi libri vol. II 278 sq. Quod si memineris, facile intelleges *μύδια* significari, quae vox cum Stephani thesauro teste a grammaticis posterioris aetatis notione non addita cum simili diminutivo quod est *ιχθύδιον* componatur, apud Diodorum frgt. libri 31, 38 extr. (= vol. V p. 38 Dind.) ubi navis notio requiritur, maxima cum probabilitate ex tradita scriptura *ΜΥΑΙΩΝ* viri docti effecerunt sive is Dindorf sive C. Müller fuit, nam ratio editionis Parisinae a. 1844, qua primum *μύδιον* exhibetur, incertam rem facit. Accedit aliud testimonium eius vocis, obscuratum illud quidem Scaligeri coniectura, Festi epit. p. 147, 5 *myoparo*: *genus navigii ex duobus dissimilibus formatum: nam et mydion et paron* (= *παρών* Polyb., Suid. lex.) *per se sunt*: sic enim ex codicum consensu legendum, non *myon*, quod prorsus fictum a Scaligero (*μύον* esse voluit) etiam Mueller in ordinem verborum recepit idque non admonito lectore. Latine autem *μύδιον* audit *muscellus*, quem inter navium vocabula recensent Isidorus or. 19, 1, 14 et Not. dign. Orient. 39, 35 *musculi Scythici* (unde Occid. 42 *milites muscularii*) et Not. Tir. p. 110, 60 ed. Schmitz et Cgl. V 604, 56 *musculus parva navis* (falso Semler *mus* pro *navis* mutat), etiam *muscellus* Cgl. III 205, 28 (de navigatione) *mys mussellus* (sic). Eadem autem quam diximus vocalium confusione in Hist. misc. p. 130 Eyss. in codice Bamb. *moeoparo* pro *myoparo* legitur et passim in glossis, velut Placid. p. 18, 7 Deuerl. *carocophilum* (sic) nihil aliud est nisi *carocoph.*, quod nec Deuerling nec Schuchardt II 454 intellexit, cf. Gl. III 316, 16 *λεπτοκάροια: abellanae*, 15, 49, *κάροια: nuces*, V 446, 40 *coembia: poculorum genera*, 265, 54 *ortosegia dolus insula i. e. Ortygia: Delus i.*; 444, 10 *Groeneus: nemus est in byothia* (ubi e contrario *y* pro *oe*, ut p. 197, 25 *yconomus*, quomodo veteres Portugallenses *icolomo* dixerunt), 445, 2 *hoeades*, 453, 11 *moeriada* cet. Nec aliter explicandum censeo vulgatum per medium aevum voca-

bulum *leduna* s. *liduna*, natum scilicet ex accusativo κλύδωνα, cf. CGL. V 602, 47 *ledo: maris aestuatio*, 446, 31 *clidon: maior tempestas*, III 29, 34 κλίδων: *unda*: neque enim sufficiunt quae de origine illius vocis adhuc prolata in Du Cangii lexico extant. Sed ut ad *mydion* redeamus, alterum navis vocabulum lexicis addere liceat. Nonius p. 534 s. v. *faselus* ex Sisennae hist. lib. IV affert verba haec: *prores actuariae tragi grandes ac faseli primo*. In quibus etsi aliquid fortasse turbatum est (fort. *parones* pro *prores* scribendum), *tragi* iniuria a L. Muellero attemptantur, si quidem τράγος teste Polluce genus navium Lyciarum est, fortasse simili modo ac *phaselus* dictum a trago qui 'genus conchae mali saporis' esse Fest. epit. p. 367, 1 dicitur, ubi suspicamur Verrium ipsum plenius exsecutum esse varias significationes vocis *tragus*, quae quidem inter *trabs* et *trabica navis* media interposita legitur.

VII. Non indignae sunt quae cognoscantur maxime ob sermonem vulgarem 'sortes Sangallenses' in quas restituendas H. Winnefeld nuper (Bonnae 1887) egregiam operam impendit, erutae ex eodem codice Sangallensi, ex quo Niebuhr Merobaudis fragmenta protraxerat. Quarum sermonis maxime notabile est verbum *soniari* ter obvium (velut 12, 11 *noli dimittere personam, de qua soniari*) et nomen *sonium* (52, 9 *de sonio liberaris*), quae in Romanensibus linguis adhuc vivunt (*soin, soigner*) ut primus intellexit Ioh. Iac. Wetstein prolegg. 1730, cum in Cantabrigensi cod. Lucae 21, 34 μέριμνα translatum *sonium* deprehendisset. Testimoniis a Buechelero collectis (Mus. Rh. 42, 586) addi possunt haec: CGL. III 417, 16 *soniariis: merimnas* cet., 20 *sonium: merimna, soniaverunt: emerimnesan*, IV 352, 33 *incuriosus: sine sonio*, quod Hildebrand (Gloss. Paris. p. 170) non intellexit. Nec non verisimilis est Kiesslingii opinio *insonuit* Hor. ep. 2, 2, 82 quam lectionem variam pro *insenuit* Porphyrio commemorat, huc pertinere: nam *sonium* a *senium* radice diversam non esse quamquam Buecheler dubitat probabile nobis videtur cum propter similem notionis mutationem, quam casca vox *anas* passa est, quam Fest. epit. p. 29 'morbum anuum sicut senium morbum senum' interpretatur, at Placidus p. 10, 16 (= CGL. V 7, 12. 47, 12) *anate: sollicitudine, cura*, tum quod similiter alibi quoque in Romanensibus linguis *o* et *e* variant ut *sérum* et *sörum* (ital. *siero*, portug. *soru*). In eisdem sortibus aliud eiusdem significationis vocabulum legitur ab editore in indice memorabilium omissum, scilicet *cogitandi* verbum c. 8, 12 *quid cogitas tantum? iubante deo optinebis quod vis per libellum*, de quo usu v. Roenschium Ital. p. 352 et CGL. II 367, 57 μεριμνώ: *cogito, sollicito*, ubi tertium deprehendimus, nam posteriores *sollicitare* pro *sollicitum esse* ut *commodare* pro *commodum esse* aliaque dixisse etiam aliunde constat, v. quae Roensch. coll. phil. p. 94 ex versionibus librorum sacrorum conguessit. Subiungimus pauca, in quibus interpretandis aliter sentimus atque editor meritissimus. Velut quae c. 31, 4 leguntur *expedit discedere quam nihil agas*, cum illi nihil esse et

emendatione egere (*quia n. 'eges*) videantur, nobis sana esse persuasum est atque explicanda esse *expedit potius discedere quam nihil agere: potius* in inferiore sermone supprimi notum est, v. Roenschium It. p. 442 sq. (e. g. Vulg. Matth. 5, 29 *expedit tibi ut pereat unum membrum tuorum quam totum corpus tuum mittatur in gehennam*) et Buechelerum ad Anthol. lat. II 2, 1604, 19 (*ut eius spiritus vi extorqueretur quam naturae redderetur*). Coniunctivum vero qui est *agas* in tali structura iam inde a Plauto (Asin. 810 *amori me malim quam haec non eius uxori indicem*) omnibus temporibus fuerunt qui ponerent pro infinitivo, v. Draegeri hist. synt. II² p. 439. 653. — Cap. 39, 1 *ac re vexaris, sed exsuperas non hac re v. sed acre* (= *acriter*, nam superiore aetate *acrus, a, um* dicebant) interpretandum videtur. Denique c. 35, 2 *non potest latere, qui fugivit aut invenietur aut sive revertitur sed tarde recte adnotat editor 'revertitur scilicet sua sponte; num quid huius notionis latet in sive?' Latet, opinor, ipse, quod ibse vulgari more scriptum in sibe, sive abire facillime potuit.*

VIII. Mart. epigr. 5, 17, 3 sq.

*dum te posse negas nisi lato, Gellia, clavo
nubere, nupsisti, Gellia, cistifero.*

cum vulgo contra codd. ederetur, librorum scripturam *cistibero*, quo significetur unus ex infimis magistratibus aptissime viro lativulgo oppositus, unice veram ociasque reducendam esse sagaciter perspexit O. Hirschfeld Herm. 24, 106¹ provocans ad CIL. VI 420 *cistiber* et Kaibelii epigr. 589 ἐνθάδε Γαιωνᾶς, ὃς Κιστιβερ ἦν ποτε Πύμης . . . κείμαι. Eodem pertinere puto quod in Notis Tironianis p. 36, 94 sq. in fine enumerationis magistratuum *viocurus* et *cestifer* nominantur. Nam quod Schmitz mihi per litteras significavit videri eum qui κεστὸν ferat (Schärpenträger) parum probabile esse apparet, quamquam idem recte intellexit quae in Glossis Isidori, quae vocantur, compositis a Scaligero habentur (CGL. V 613, 44 *viocurus et statim cestifer* ex Notis Tir. fluxisse (v. Loewii prodr. 52), ut alia multa quae in eisdem glossis insunt. Adde glossam libri Glossarum (CGL. V 253, 27) *vicorium et cistifer nomina sunt metallorum*, quae etiam alibi traditur variante solo primo vocabulo (*victurium, vicorus, vincorium* cet. IV 578, 49. V 336, 24), ubi interpretatio non potest nisi ex errore orta esse, cum is qui primus eam composuit tractam utique ex simili serie vocabulorum atque in Notis Tir. traditur non adiecta explicatione, *cistophoros* nummos cogitaret et fortasse etiam *victoriatos*, quamquam hi altiolem eruditionem requirunt. *Cistifer* autem pro *cistiber* vulgaris etymologiae vestigia prodit, qua etiam *Mulcifer* scribebat Martianus Capella, si codicibus fides est, et CGL. IV 403, 38. V 371, 40. — Statuam cognomento *Langona* Martialis 9, 50, 5 sic memorat:

*nos facimus Bruti puerum, nos Langona vivum:
tu magnus luteum, Gaure, Giganta facis.*

¹ Quem secutus Gilbert *cistibero* nuper in ed. stereot. emendatorem recepit.

Quid vocetur *Langon* nemo editorum expedit, dum aliis rebus intenti sunt, de quibus infra dicemus. Sed potuit ex Stephani thesauro graeco disci, ubi glossa Etymologici magni haec affertur: λαγγών ὁ εὐθέως λανθάνων τοῦ ἀγῶνος καὶ φόβου nec non duas Gloss. Philox. (CGl. II 201, 41) *tricosus*: ἀχρεῖος, λαγγών, δυσέκλυτος¹ (sic enim recte Salmasius litteris εκλυτος ex insequenti glossa huc retractis), unde fluxit Gl. nom. p. 595, 62 *tricosus*: *piger, inutilis*, et (p. 100, 14) *cessator*: λαγγών. Accedit vet. interpr. Verg. Georg. 2, 93 (p. 76 ed. Keil) *lageos*: *wa leporini coloris unde et vocabulum sumitur vel quia lepores ultra alias adpetunt, sive quod languon² est iuata dialecticos pedibus infirmus . . unde et pigros vel otio deditos languonas vocarunt*. Langon igitur, quocum conferas verbum λαγγάζω ab Hesychio ὀκνέω explicatum, est instrenuus, piger, tergiversator, quem nos vulgari sermone vocamus 'Drückeberger', apteque conferre licet distichon illud de Hercule tricoso, quem incisus in humili basi et olim testes locupletes viderunt et nuper Buecheler (Anthol. lat. II 2, 870) suspicione falsi vindicavit propter ipsam singularem vocem *tricosus*:

*Alcmenae Iovis et magni fortissima proles
tricosus subito post mea fata voror.*

Non pertinere huc videtur quamquam admodum memorabile est, quod Plinium 34, 79 editores veteres Martialis scripsisse putarunt utpote deterioribus codd. usi: *Leochares* (fecit) *aquilam . . . item Apollinem diadematam, Lyciscus Langonem, puerum subdolae ac furatae vernilitatis*: nam et probi codd. *Lyciscum mangonem* praebent et alia obstant, quae Friedlaender exposuit. — E magno glossarum numero quae ad explicandum Martialem utiles sunt, subiungere liceat unam Gl. III 190, 31 (de habitatione) *imipimthi*, i. e. ἡμίπλιυθοί: *porcelli*, quocum cf. Mart. 2, 37, 1 *quidquid ponitur hinc et inde verris, mammas suminis imbricemque porci*. Vas potui aptum quod vocatur ex graeco *rhytion* ib. 2, 35, 2 praeterea solum glossarium Montepess. III 324, 53 memorat *ρυτόν: rutium*.

IX. In incerti nec antiqui auctoris invectivae M. Tulli in Sallustium haec leguntur § 18 apud Iordanem: *eius enim partis erat Sallustius, quo tamquam in unam voraginem coetus omnium vitiorum excesserat: quidquid impudicorum, cilonum, parricidarum, sacrilegorum, debitorum fuit in urbe* cet. In quibus miror adhuc tolerari *cilonum*, quo vocabulo homines προκέφαλοι sive μακροκέφαλοι s. φυζοί s. ὄζυκέφαλοι (Gl. III 253, 1) significantur: nam quomodo inde Georges notionem cinaedi repeti velit, me quidem fugit. Nec codices *cilonam* exhibent sed *cylonum* vel *ciclonum*, quorum ne Cylonum quidem, si a Graeco traxeris, aptum

¹ Extrema haec significatio facit ad Mart. 3, 63, 14 *res pertriosa est, Cotile, bellus homo*.

² *languona* per *u* etiam Martialis codd. nonnulli scribunt.

est, *ciclonum* autem codicis Harl. sec., qui hic illic unus verum servavit (v. Reitzenstein Herm. 33, 88 n. 3) mihi *cydonum* indicare videtur, nam *cinaedum*, quod Glareanus proposuit, non uno nomine improbable est. Cf. CGI. V 595, 27 (Gl. Scal.) *cidones: puerorum amatores*, quocum olim recte comparaverunt quae Servius ad Verg. A. 10, 325 *nova gaudia Cydon* adnotavit: *de Cretensibus accipimus quod in amores puerorum intemperantes fuerunt . . . novimus autem Cydones Cretenses dici* (unde fluxit glossa V 551, 22 *Cydones: Cretenses*). Similiter in 'libro Glossarum' V 178, 6 *cidones: puerorum amatores Vergilius* cet. (sequitur locus Verg. supra l.), unde Scaligerum sua hausisse putandus est. Ex glossis vox *cidones* manavit etiam in Hisperica famina, quae vocantur, v. Goetzius nunt. soc. litt. Lips. 1896 p. 88 n. — In eadem in-vectiva § 19 *palam refelle, unde, qui modo ne paternam quidem domum redimere potueris, repente tamquam somnio beatus hortos preciosissimos, villas C. Caesaris, reliquas possessiones paraveris. Redimere* propagatur inde ab Aldina, sed aliud codd. indicant, qui *relinire* vel *relinere* (sic Harl. sec.) habent. Puto fuisse *re-luere*, cf. Fest. p. 281a, 28 *reluere: resolvere, repignerare. Caeciliius 'ut aurum et vestem, . . . reluat, quod viva ipsa opposuit pignori'*, CGI. II 228, 49 ἀνταποτινύω *reluo*. Iurisconsulti simplici luendi verbo utuntur.

X. Aurelii Vict. de Caes. c. 33, 30 *adeo principes atque optimi mortalium vitae decore quam quaesitis nominibus atque compositis, quantum coniciatur, caelum adeunt seu fama hominum dei celebrantur modo*. Non iniuria offendit A. Schottium *coniiciatur*. At non dempta littera *coniicitur*, sed addita *coniici datur* scribendum videtur: sic enim posteriores loquebantur, ut Orosius 3, 6, 3 *ubi conici datur, quantum hominum caesum sit, quando octo milia sunt capta Tuscorum*, cf. Draegeri hist. synt. II² p. 367 sq. — Cap. 33, 6 *inter haec ipse (Gallienus) popinas ganeasque obiens lenonum ac vinariorum amicitii haerebat*. Non sine causa Schott *mimarum* pro *vinariorum* scribendum putavit coll. Treb. Poll. vit. Gall. 21, 6 *nam et semper noctibus popinas dicitur frequentasse et cum lenonibus mimis scurrisque vixisse*. Sed propius abest a tradita scriptura *mimariorum*, quae vox a Georgesio titulo quodam, qui nunc est CIL. III 3980, et loco Iunioris orb. descr. comprobata in glossis passim occurrit, velut II 592, 25 *scurpax (scurrax?)*: *mimarius*, III 172, 39 *mimologi: mimarii* (codd. *mitarii*), V 367, 18 *mimarios vel mimigraphos* 181, 3. II 590, 25 (*munarius* cod.).